

149. II. Suspicio regulariter levem malitiam habet; potest tamen gravem attingere.

Ratio primae partis est ejus imperfectio et minor injuria quam continet, et propter minora indicia quae sufficiunt ad suspicandum licet non sufficiant ad judicandum. Ratio secundae partis est, quia aliquando propter enormitatem rei posset esse peccatum grave, ut si de viro sancto et perfecto sine fundamento suspiceris esse haereticum, luxuriosum vel quid simile.

150. III. In dubio ex utraque parte positive probabili, illicitum est judicare aliquem positive pravum, sed tenemur saltem et sufficit suspendere assensum probabilem, licet non sub gravi.

Responsio communis aa. cum D. Thoma (1) est in hac quaestione: «dubia in meliorem partem i. e. faventem proximo esse interpretanda,» non tamen conveniunt quoad modum. Sat communiter contra Sotum, dicunt sufficere meliorem in partem interpretari *negative* i. e. suspendendo omnem assensum, nec esse necessarium interpretari *positive* proximi probitatem affirmando. Est tamen id quod dicit Sotus valde conforme charitati praesertim practice, quo pacto ut bonum debemus habere; non tamen licet, juxta Molinam D. 17, cum tali dubio negativo elicere assensum determinatum in favorem proximi judicando positive illum esse probum; quia hoc etiam esset judicium temerarium, quod, sive in bonam, sive in malam partem fiat, culpam non vacat, ut significat S. Augustinus (2): «Sunt ergo quaedam media, quae ignoramus, quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus.»

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Cum D. Thoma (3): 1.<sup>o</sup> «Quod Rom. (XIV) super illud: *Qui non manducat manducantem non judicet*, dicit Glossa (Ex S. Augustino loco nup. cit.) Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.» Potest confirmari auctoritate S. Bernardi (4): «Etiam si perperam quid factum deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa, excusa intentionem si opus non potest, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.» etc.

2.<sup>o</sup> «Hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa injuriatur ei, et contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocentem quodcumque inferre absque causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.»

II.<sup>a</sup> Pars. Quod in casu debeat aliquis saltem suspendere assen-

tiendum, non video cur debeat excusari a peccato gravi, licet non sciat positive rationes esse insufficientes ad assensum...» Ita contra P. Lessium, qui hoc ultimum exigit, supponens tamen in opinante animum suam opinionem retractandi, si motivorum insufficientia ei innotesceret.

(1) 2, 2, Q. 60, a. 4.—(2) L. 2. De serm. Domini in monte, c. 18.—(3) 2, 2, Q. 60, a. 41.—(4) In cantic. serm. 40.

sum est clarum ut corollarium primae partis; quod sufficiat; probatur. Nemo obligatur ut in judicio speculativo exponat se periculo errandi: si autem cogeretur habere tunc assensum positivum de probitate proximi, exponeret se periculo errandi; quam imperfectionem non debet subire, imo juxta regulam prudentiae est, vitare illud periculum, quantum fieri possit. Ergo...

III.<sup>a</sup> Pars. Existentibus motivis probabilibus licet judicare in actu signato seu reflexo, malum seu delictum de quo agitur seu dubium est, probabiliter esse, illud nec negando nec affirmando de subjecto. Sed ab hoc judicio parum differt, aliud judicium, quo probabiliter et cum formidine directe judicetur ipsum delictum. Ergo... *Min.* confr. Nemo enim potest conqueri rationabiliter de gravi jactura, ex eo quod postquam de ipso judicatur reflexe, quod probabile sit ejus delictum, judicatur etiam directe per assensum opinativum ipsummet delictum. Ergo non sufficit ille assensus ad materiam culpae gravis.

Dices 1.<sup>o</sup> Ex S. Luca. c. XVI: *Qui in modico iniquus est et in majori iniquus est.* Ergo ex parvis indicis licet judicare malitiam alterius.

Resp. Neg. *conseq.* Non enim docet ibi Christus. D. licere ex modica iniquitate, magnam iniquitatem praesumere, sed litteralis sensus est; qui in modico, hoc est in terrenis hujus mundi divitiis, fuit iniquus, male eas expendendo, potest praesumi iniquus seu infidelis in majoribus dispensandis.

2.<sup>o</sup> Scripturae, quae vetant contemptum proximi, tantum prohibent judicium aut opinionem malam, cum dicant: *Nolite judicare, nolite condemnare*, etc. et similia: Sed qui haeret, in neutram partem declinando, non judicat nec opinatur. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Expresse et determinate; conc. Implicite et cum opinio et dubium sunt etiam contra proximum graviter; neg. Sic praeceptum *non occides* non solum vetat homicidium sed etiam vulnerationes, percussiones, motus irae.

3.<sup>o</sup> Semel malus semper praesumitur malus, ut habet. Reg. 8.<sup>a</sup> Juris in 6.<sup>o</sup> Ergo saltem tunc licet interpretari dubia in malam partem, quando dubitatur de illo, qui fuit aliquando malus.

Resp. Neg. *conseq.* Sensus istius regulae est, utile esse ad cautelam adhibendam timere ne adhuc sit talis, qui semel fuit malus, nisi indicia in contrarium, quae omnem suspicionem tollant, habeantur; non autem vult haec regula ut qui aliquando fuit malus, judicetur malus nunc, absque ullo motivo.

4.<sup>o</sup> Detractio, qua, existentibus motivis probabilibus pro utraque parte, determinate affirmatur crimen vel defectus gravis proximi, continet culpam gravem. Ergo et assensus internus, quo apud te idem affirmas.

Resp. Neg. *conseq.* Nam per affirmationem externam absolutam et determinatam, non significas ullo modo formidinem vel infirmitatem assensus interni, quam tamen significas, et habes per assensum probabilem internum. Unde si exterius etiam significares eandem formidinem dicendo, *hoc probabiliter ita est*, nec aliunde opponeretur justitiae, ex eo quod defectus occultus absque causa

sufficienti publicaretur, posset etiam dici quod detractio illa non contineret culpam gravem.

151. IV. Quae sit materia gravis in iudicio temerario difficile est determinare. Lugo ait (1): «nulla alia regula assignari potest, nisi ea, quae datur ad cognoscendam gravitatem detractio- nis, cum hoc tamen discrimine, quod gravior fartasse materia re- »quiratur ad gravitatem iudicii interni; homines enim molestius »fuerunt auferre sibi bonam existimationem per detractionem ex- »ternam, quam per solum iudicium internum.»

**Nota** tamen aliquando iudicium temerarium circa materiam gra- vem, etiam cum plena deliberatione, posse non esse peccatum mor- tale: quando scilicet, licet materia, quae iudicatur, sit gravis, te- meritas tamen in iudicando non est gravis sed levis, quia possunt dari motiva parum distantia a sufficientibus. Item quando persona de qua iudicatur est indeterminata, vel incognita, ut cum de ali- quo a longe venienti et quem non agnoscis, aliquod grave iudicas.

#### ARTICULUS V.

### De quibusdam pertinentibus ad iustitiam distributivam et legalem.

#### THESIS XXV.

Acceptio personarum per se iustitiae distri- butivae opponitur, et est peccatum ex genere suo mortale.

152. **Nota.** Iustitia distributiva est, ut vidimus, virtus, quae ordi- nat totum ad partes per medium proportionis. In ea tria conside- rari oportet: a) *Bonum commune*, quod in personas particulares distri- buitur. b) *Personae*, quibus tale bonum appropriatur. c) *Ratio et causa*, propter quam bonum illis datur; quidquid autem est in per- sona vel circa personam, quod non facit ad causam seu rationem, propter quam bonum illud est distribuendum, nomine personae nuncupatur. Ille ergo dispensator, qui sic bona communia distri- buit ut consideret causas et rationes, propter quas talia danda sunt, ac ob eas det, justus dicitur, et est: quando vero non causam ad rem facientem observat, sed ob aliud dat, tunc acceptor est perso- narum. Thesis est communis DD. cum D. Thoma (2).

153. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Iustitia distributiva est quae ordinat totum ad partes per medium proportionis. Sed acceptio personarum per se immediate opponitur huic proportioni. Ergo... *Min.* prob. quia

(1) D. 14, n. 23.—(2) 2, 2, Q. 63, a. 1.

per acceptionem personarum bona communia, quae deberentur dignis, dantur indignis, et quae dignioribus essent danda, tantum dignis tribuuntur. Ergo...

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Deuter. (1): *Nulla erit distantia per- sonarum, illa parvum et audietis et magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei iudicium est.* In Exod. (2) dicit Dominus ad Moysen: *Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam et constitue ex eis tribunos, et centuriones, etc., et infra. v. 23. Si hoc feceris, im- plebis imperium Dei, et praecepta ejus poteris sustentare.*

2.<sup>o</sup> Ratione communi; nam in materia gravi intra suam lineam graviter alteri nocet, et charitatem solvit.

Obj. cum D. Thoma (3): «Apud Deum nulla potest esse »iniquitas vel peccatum. Sed Deus videtur personas accipere, quia »interdum duorum hominum unius conditionis unum assumit per »gratiam, et alterum relinquit in peccato, secundum illud Mat- »thaei (4) *Duo erant in lecto* (in agro); *unus assumetur, et alius »relinquetur.* Ergo acceptio personarum non est peccatum.»

Resp. Cum eodem doctore; dist. *min.* Deus videtur personas ac- cipere in his, quae tribuit ex debito ut cum rependit praemia me- ritis; neg. In his; quae dat liberaliter ut cum distribuit gratias; subdist. Proprie; neg. Improperie, quia haec dat cui vult; conc. «Duplex est datio: una quidem pertinens ad iustitiam, qua scilicet »aliquis dat alicui quod ei debetur; et circa tales dationes attendi- »tur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, »qua scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur, et talis est »collatio munerum gratiae, per quam peccatores assumuntur a »Deo, et in hac donatione non habet locum personarum acceptio, »quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult et »cui vult, secundum illud Matth. (5): *An non licet mihi quod »volo facere? Tolle quod tuum est et vade.*»

#### THESIS XXVI.

Beneficia ecclesiastica, sicut et officia civilia tantum dignis prae dignioribus conferre, est per se peccatum mortale; non tamen, secluso pacto, datur obligatio restituendi.

154. **Nota.** I. Beneficium ecclesiasticum, proprie est «jus perpe- tuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis intuitu spiritualis »officii, auctoritate Ecclesiae constitutum.» Beneficia varie dividun-

(1) I, 17.—(2) XVIII, 21.—(3) 2, 2, Q. 63, a. 1 ad 3.—(4) XXIV, 40.—(5) XX, 15.

tur 1.º In saecularia et regularia: haec regularibus, illa saecularibus competunt clericis; ita ut saecularia regularibus, regularia saecularibus sine dispensatione Sedis Apostolicae conferri nequeant. 2.º In simplicia et duplicia. Duplicia sunt, quae, praeter caetera beneficiis omnibus communia, insuper gaudent aliqua qualitate juris, quia adnexam habent vel eminentiam aliquam, vel jurisdictionem sive curam animarum, in foro externo vel interno, vel administrationem ecclesiasticarum rerum. Simplicia, quae nihil tale conjunctum habent, si tamen habentur in cathedrali dicuntur simplicia majora. Duplicia sunt majora, media vel infima, prout attingant supremum gradum in dignitate ut a Cardinalatu ad Episcopatum; vel medium ut Generalatus, Abbatias, Archipraesbiteratus, etc.; vel infimum ut munus Parochi, Vicarii perpetui. Si alicui beneficio est juncta jurisdictio in externo foro dicitur dignitas; si administratio, officium; si sola praecedentia seu honor, personatus. 3.º Ratione modi, quo conferuntur, in patronata, si per patronum; patrimonialia, si alicui ex familia debet beneficium conferri; electiva si electione; collativa si absque praesentatione et electione possit beneficium libere a collatore dari.

II. Indignus dicitur, qui ad officium beneficii est ineptus ob pravitatem morum vel ignorantiam vel impedimentum canonicum. Dignus, e contra, qui speratur aptus futurus, tum ob probitatem morum, tum scientiam, tum quia nullo laborat impedimento canonico. Dignior qui utilius profuturus creditur.

III. Conferre beneficium indigno in ecclesiasticis, et officium in civilibus, est per se juxta omnes peccatum grave; est enim acceptio personarum in re gravi, et obligat ad resarcienda damna; quia collator beneficiorum et officiorum ex contractu saltem tacito cum Ecclesia vel Republica, tenetur ex justitia commutativa nullum damnum Ecclesiae vel Reipublicae inferre. Hinc collatio beneficii, si ipso jure non est irritata, debet irritari. Restitutio hoc casu, non dignis vel dignioribus, sed Ecclesiae vel Reipublicae fieri debet; quia violatio juris, quae hic habetur, non est contra personas, sed contra Ecclesiam vel Rempubicam: unde ipsis est restitutio facienda; sicut si dominus daret dispensatori pecunias, ut operarios conduceret, si hic bonis neglectis, malos conduceret, non utique operariis, sed domino restitutio fieri deberet. Thesis est communis theologorum, uno vel altero contradicente.

155. I.<sup>a</sup> Pars. *Quoad beneficia ecclesiastica.* Prob. 1.º Ex jure canonico: a) Innocentius III ait (1): «Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum beneficium et offi-

(1) Cap. unic. ut Eccles. benef.

»cium in persona magis idonea dispensare.» b) Concil. Tridentinum de promotione Episcoporum (1): «Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam praestant... monet... eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humo affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint.» Et cap. 18 relate ad Parochos dicit: «Ex his Episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.» Jam vero haec debere intelligi de dignioribus constat ex prop. 47 ab Innocentio XI damnata, quae sic se habet: «Cum dicit Concil. Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc, digniores nihil aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo positivo; vel secundo loquutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos non vero dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.»

2.º Ratione: Collatoribus beneficiorum ex officio incumbit bono communi Ecclesiae meliori modo, quo possint, prospicere, et damna propulsare. Sed nec bono communi meliori modo prospicerent, nec damna averterent, si, neglectis dignioribus, praeficerent minus dignos. Ergo. *Min. prob.* Nam aliter facile eveniet, ut promoveantur indigni; nam si adhuc qui videbatur dignior, post promotionem reperitur indignus; quid, si solum digni quaerantur, eveniet? Certe ex neglecta digniores promovendi obligatione, derivant PP. Tridentini ingentia mala, quae Ecclesiam inundarunt.

*Quoad officia civilia* constat eodem argumento rationis proportionate sumpto; quia Reipublicae praesides ejus bonum meliori quo possunt modo procurare tenentur (2).

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. Quia tenerentur vel erga digniorem, vel erga communitatem. Sed neutrum. Ergo... Non primum quia ille non habet jus proprium absolute, sed respectivum dumtaxat, consistens solum in majori aptitudine, unde non patitur in rebus suis injuriam. Non secundum, quia Ecclesia vel Respublica non intendit collatores officiorum vel beneficiorum sub onere restitutionis obligare ad procurandum semper majus bonum et digniores ministros; modo procurent eos, qui vere sint digni et utiles: neque collatores censent se sub tali onere obligari: et quidem rationabiliter, nam aliter multae perplexitates quotidie orirentur, et quia aliunde si di-

(1) Sess. 24, c. 1, de Reform.—(2) V. Lug. D. 35, n. 18.

gni saltem eligantur, Ecclesia proprie non patitur damnum. Ergo...

156. Obj. 1.<sup>o</sup> Apostolus (1) non dicit esse eligendum digniorem ad Episcopatum sed simpliciter. *Irreprehensibilem, sobrium, prudentem*, etc. Ergo sufficit eligere dignum.

Resp. dist. *antec.* Non dicit explicite conc. Implicite et virtualiter; neg. Nam tot et tantas requirit qualitates, ut non nisi in dignissimis et dignioribus, praesertim simul sumptae, inveniri possint.

Obj. 2.<sup>o</sup> Concil. Tridentinum (2), et similiter c. Si *in plebibus* (3), videntur, saltem pro beneficiis episcopatu inferioribus, tantum requirere dignos et non malos. Ergo...

Resp. Dist. Seu explico *antec.* Relative ad indignos et ut collatio non debeat irritari; Conc. Absolute ut sufficiat eligere dignos in concursu digniorum; neg. (Vide Concil. Trid. citat. in probat.; c. fin. de officiis custod. in quibus aperte dicitur digniores esse eligendos).

157. **Notanda I.** Lugo (4) pro officiis civilibus probabilem habet sententiam, quae dicit sufficere eligere dignum dummodo electori constet nullum damnum obventurum Reipublicae. Tamen juxta eundem haec sententia non differt a nostra, quia respective ad hoc officium major scientia vel aptitudo alterius se habet extrinsece dummodo electus veram aptitudinem habeat.

II. In beneficiis, quae non habent curam animarum, ut in canonicatibus, etc., non videtur peccatum mortale semel aut bis praetermittere digniorem: videtur tamen esse mortiferum si quis id passim faciat, aut si raro curet ut digniores praeferrantur. Ita Lessius (5) cum plurimis. Ratio est, quia quod semel vel iterum dignior praetermittatur in hujusmodi beneficiis, non censetur notabile incommodum, aut notabilis injuria in Ecclesiam; paucorum enim mediocritas; aliorum virtute facile compensatur.

Quando, praetermissis dignioribus, liceat conferre beneficia tantum dignis, vide apud auctores. v. g. Less. L. 2, c. 34, n. 58-61.

Si non adest dignus, tunc poterit beneficium dari non digno ad vitanda majora mala. Ex hoc capite Card. de Lugo (6), excusat Episcopos aliosque beneficiorum collatores, qui parochias aliquando sacerdotibus ineptis committunt. «Ratio est, quia tunc »oves illae censentur esse in necessitate et carentia confessarii sufficientis, quo casu melius est, quod habeant saltem aliquem a quo »valide possint recipere sacramenta, quam quod omni auxilio maneant destitutae (7).»

III. Ubi lege prohibitum non sit, possunt sub certis conditionibus officia publica vendi non ratione administrationis justitiae, quam adjunctam habent, sed ratione aliorum commodorum, quae

(1) I, Timothy. III.—(2) Sess. 7, cap. 3.—(3) D. 63.—(4) D. 34, sec. 2, n. 17.—(5) L. 2, c. 34, n. 66.—(6) D. 35, n. 5.—(7) Conf. Lugo. De Poen. D. 21, n. 74.

secum ferunt ut praerogativa et honor eminentiae inter concives, liberale stipendium, occasio justici lucra, etc. Conditiones assignantur ab auctoribus: 1.<sup>a</sup> Auctoritas in vendente. 2.<sup>a</sup> Ut vendantur, quantum fieri possit, dignioribus; nam plures possunt concurrere, qui non multum inter se differant; vel saltem ut communiter non vendantur solis dignis, praetermissis dignioribus; 3.<sup>a</sup> Ut pretium non sit adeo excessivum, quod emptorem cogat officio abuti ut se indemnem servet et quod sperabat lucrum obtineat: 4.<sup>a</sup> Ut id postulet Reipublicae necessitas cui aliter bene non possit satisfieri.

#### THESIS XXVII.

Licetum est publica auctoritate occidere malefactores communitati perniciosos.

158. **Nota.** Speciatim de hac re instituimus thesim contra waldenses antiquos, et modernos aliquos, qui poenam capitis ut incongruam nostrorum temporum humanitati, et, ut aliqui ajunt, minorem carcere perpetuo, abolendam proclamant.

Prob. 1.<sup>o</sup> ex Scriptura (1). *Maleficos non patieris vivere*: David (2) sibi gratulatur: *In matutinis interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*. Apostolus (3) malefactores debere principes timere docet: *Si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*.

2.<sup>o</sup> Cum Angelico (4), qui ex necessitate deducit liceitatem: «Omnis... pars ordinatur ad totum ut imperfectum ad perfectum; et »ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus quod si saluti totius corporis humani expediat praecisio alicujus membri, puta cum est putridum vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur. Quaelibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut »pars ad totum. Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et »salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, ut dicitur 1.<sup>a</sup> ad Corinthios (5).» Confirm. a) Ex usu et legibus Nationum, quae atrociora crimina poena mortis plectunt. b) Quia si ea stabilita poenâ adhuc abundant crimina homicidii, prodicionis, rebellionis, etc., ea sublatâ, via pateret ad omne infandum nefas, et nulla esset societas segura. c) Quia aliqua crimina, puta pacificum concivem exquisita crudelitate occidere, publice viatores praedari et

(1) Exod. XXII, 18.—(2) Ps. C. 8.—(3) Ad Rom. XIII.—(4) 2, Q. 64, a. 2.—(5) V. 6.